

tes & magis justificare, quàm ipsam remissionem peccatorum & justiciæ Christi imputationem, quod absurdum esse tota Scriptura clamitat, tanquam cum summâ blasphemiam in preciosissimum Christi meritum conjunctum, & à modo atq; ordine quo DEUS salutem nostram operatur, longè alienissimum.

LIIIX. Hoc quidem verum est, quod in justificatione unâ cum fide detur spiritus sanctus, qui naturam incipit renovare: interim tamen hæc duo insignia beneficia, nempe justificatio & Renovatio non confundenda, sed accuratis limitibus sejungenda sunt: Justificationis enim forma non consistit in Renovatione, sed in remissione peccatorum & imputatione justiciæ Christi: Renovatio autem est illius effectus & consequens necessarium.

LIX. Sic ergo colligimus: Effectus non est forma suæ causæ: Quia res qualibet per suam formam est, antequam agat: Atqui Renovatio est Effectus justificationis, quia supervenit illi in actu & perfectè jam existenti, quando fides per charitatem est efficax Gal. 5. v. 6. Relinquitur ergò bona opera non constituere formam justificationis, sed potius contrà, Justiciam fidei largiri formam bonis operibus, ut DEO sint grata & accepta, quia ceu boni fructus ex bonâ arbore; ita bona opera ex homine renato, & per fidem justificato proveniunt.

V.

Bona opera non sunt necessaria ad salutem apprehendendam sub ratione causæ instrumentalis.

LX. ὄργανον ληπτικόν & medium illud quo justiciam Christi apprehendimus & nobis applicamus esse solam Fidem, vel ex eo in primis promptum est colligere, quod in sacris literis, ubicunq; describitur modus & ratio nostra coram

63

DEO

Justificatio & Renovatio differunt

Effectus non est forma suæ causæ.

5.

Bona opera non sunt causa instrumentalis justificationis.

I.

Sola fides est ὄργανον ληπτικόν.